



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De vitijs capitalibus. Cap. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

est : quòd suavis hæc in clauſtro per-
 manſio, tam fœlicem fit exitum fortitu-
 ra? Nonne vniuerſas mundi calamitates
 auidè exhaurire par eſſet, vt tam fauſto
 fine clauderentur? Dent igitur Fratres
 noſtri, vt laborum finè, ab ipſo ingreſ-
 ſu, mente conceptū ſeruent: vt ad om-
 nem aduerſitatem ſuperandam armati,
 quam impenſius expetunt, coronam ac-
 quirant.

De vitijs capitalibus.

Cap. XXI.

Quamuis in tractatu virtutum vi-
 tijijs contrarijs elidendis oppor-
 tunam poſuerimus armaturam, è re no-
 ſtra eſt, principalia vitiorum capita in
 locum vnum coagmētare, vt in ea per-
 noſcere, ac expugnare illorum ſede cō-
 modius inuenta, & cum virtutum ca-
 pitibus collocata Fratres noſtri facilius
 poſſint.

2 Cum verò in tradenda virtutum do-
 ctrina, vitiorum meminiffe, ac eorum
 deformitatem, modumque purgandi
 oſtendere oportuerit, breui quadam, &
 ad noſtrum inſtitutum appoſita, eorum

O

ex-

expositione cōtenti erimus: vt hinc peccatorum cognitio; ex virtutum verò documentis remedia petantur.

3 Primum ergò locum, sibi superbia vendicat, quasi vitiorum omnium regina: quæ est, inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor, & reuerentia. Eam quippè excellentiam affectat, cui alij honorem afferant: residetque & in appetitu sensitiuo in parte Irascibili, & in voluntate, qua Irascibilis ingenio respondet.

4 Trifariam verò superbiæ nomine Patres vtuntur: primo, pro illa pronitate ad superbiendum, quæ homini in natura lapsa, ob corruptionem fomitis, natua est: & hoc modo est radix omnis peccati: pars quippè inferior hominis, sine Originalis iustitiæ retinaculis, bellua quædam ad omnem turpitudinem vehementer procliuis est, vt nimium experimur.

5 Secundò superbia ponitur pro elatione contra præceptum, vel pro appetitu inordinato excellentiæ in quavis re: & hoc modo est generale peccatū, quod reliquorum omnium castra percurrit.

6 Tertiò,

6 Tertiò, accipitur pro appetitu illo excellentiæ, cui debetur honor, vt in eius descriptione posuimus : & hoc modo est vnus è septem vitijs capitalibus.

7 De hac superbiæ acceptione propria dicturi ex ipsis descriptionis verbis, notamus, vitio huic innatum esse, maiora de se cogitare, quam habeat: cum enim vigeat appetitus excellentiæ, & quò qui incumbit affectu, eò moueat intellectũ, ac proinde facile credit, quæ ardentè cupit: efficitur, vt intellectus superbi de se honorifica credat, & ab alijs propterea honorem sibi deberi existimet.

8 Hinc vniuersa superborum damna originem trahunt, & illæ imprimis species quatuor à sanctis Patribus celebratæ: quarum prima est, æstimare bonum à se ipso habere: secunda datum à Deo, pro suis meritis se suscepisse credere; tertia, gloriari se habere, quod non habet: quarta ceteris despectis, appetere singulariter excellentẽ videri. Semel quippè posita iniqua illa æstimatione, qua homo effertur supra id, quod habet, cõsequens

O 2

est, vt

est, vt, vbique caperet excellentiam, hoc est, eas res, ob quas honore dignior haberi possit: dignior autem honore foret, si bona à se (quæ diuinitatis affectatio est) quàm si accepta haberet: dignior si quæ habet, pro meritis, quàm si absque meritis accepisset: dignior, si haberet, quæ se habere mentitur: & denique dignior, si alijs excellens, quàm si despicabilis videretur.

9 Ex eodem capite proficiscuntur gradus illi duodecim à sanctis recensiti, totidem humilitatis gradibus oppositi: nimium curiositas oculorum, cōtra humilium defixos humilium oculos: leuitas mentis quam verbositas ostentat, contra humilium silentium: inepta lætitia, contra humilium qui ad risum prompti non sunt, temperatam hilaritatem: iactantia, contra humilium taciturnitatem vsque ad interrogationem singularitatem, cōtra humilium modum toti cœtui communem: arrogantia, contra morem humilium se omnibus viliores credentium, & profitentium: præsumptio contra morem humilium se ad omnia inutiles, ac indignos existimantium,

tium, ac dicentium: defensio peccatorum, contra humilem illorum confessionem: simulata confessio, scilicet, que pro peccatis poenā subire non vult, contra humilium in laboribus patientiam: rebellio, contra humilium obedientiā: libertas, contra humilem propriæ voluntatis abrogationem: peccandi consuetudo contra Dei timorem, qui in humilium cordibus sedet.

10 Erga species, & gradus humilitatis perspicaciter animaduertendū est, (quod ad nostrum institutum spectat) non pro rebus serijs, & grauibus, sed pro leuibus superbiam excitari: non enim, (vt hoc exemplo cetera pateant) defensio peccatorum, quæ est octauus superbiæ gradus, pro peccatis lethalibus, Dei gratia, exercebitur, sed, nè pro leuioribus culpis suscipiatur, timendum est. Item non imminet adeò præsens periculum, vt in quarta superbiæ specie, quis appetat singulari excellentia conspicuus, cum grauis culpæ reatu apparere: sed verendum, nè in leuioribus id velit, & quærat. Profectò, si aliquis discretius alijs loqui, melius legere, scribere, canere,

O 3

re, cane-

re, canere spirituales doctrinas capere, & rem quamlibet è nostris, exactius alijs præstare, nouerit, frequenter infestabitur, & fortassè cupiet, vt eam modicam excellentiam alij præ oculis habeant, & ei propterea deferant.

11 Hæc & alia multa nobis exitiosa, ex appetitu excellentiæ oriuntur: quæ Fratres nostri cauebunt, si quæ in capite de Humiliate tradidimus altè concipere, exequique conentur: Enumerata autem superbiæ species, siue gradus, & vitij ipsius capitalis natura cognita, eò conducent, vt notas superbiæ, ac humilitatis internotant, & vitio declinato, virtutem auidius amplectantur.

12 Remedia vulgata superbiæ, tria sunt: propriæ infirmitatis, magnitudinis Dei, ac imperfectionis priorum bonorū consideratio: quæ libris piarum meditationem alenda est. Hæc de superbia.

13 Vana, siue inanis gloria (quam cenodoxiam Græci Patres appellant) vitium capitale constituit: quæ nihil est aliud, quàm immoderatus appetitus gloriæ inanis, idest, illius claritatis, quæ illi
obori-

oboritur ex aliorum notitia.

14 Gloria est quidam effectus honoris: ex hoc enim, quod quis honoratur, siue laudatur, existit clara quædam eius notitia, ab alijs inde concepta, vnde gloria sic definiiri solet: Gloria est clara cum laude notitia. Cenodoxia ergò, quæ claritatem hanc immoderatè affectat, vitium iuxta suum nomen vanissimum est, & licet aliquid magnum prætere videatur, infamiæ quiddam, vtpote virtuti magnanimitatis hominum laudes aspernantis oppositum est.

15 Videtur certè Cenodoxia, quædam superbiæ progressio: appetit quippè superbus excellēs videri, vnde alij honorem ei deferant: at gloriæ inanis cupidus, optat quoque clarescere, vt scilicet ex honore illi delato, alij excelsè de illo sentiant, & claram cum laude notitiam concipiant.

16 Hæc mater venenata sex filias perniciosissimas generat, iactantiam, præsumptionem nouitatum, hypochrisim, pertinaciam, discordiam, contentionem, inobedientiam: cum enim eius scopus sit excellentiam propriam manifestare,

eò tendit vno modo, directè, cupiens supra alios clarescere per verba, quæ est iactantia: quæ certè verba, vel etiã facta, si admirationem excitent, est præsumptio nouitarum, si verba falsa sint, est hypocrisis: alio modo reflexè, nolens, scilicet alijs minor videri: vel quo ad intellectum per defensionem propriæ sententiæ, nolens cedere meliori, quæ est pertinacia, siue quoad voluntatem, nolens à proprio sensu recedere, vt alijs cõsentiat, quæ est discordia: siue quo ad expressionem affectus per verba elata quæ est contentio: siue quoad facta, dum superioris præceptum exquirenuit, quæ est inobedientia.

17 Erga Cenodoxiam, & eius prolem, idem ferè, quod erga superbiam, annotamus, in rebus videlicet leuioribus hasferas desæuire: familiare quippè est Monachis vanæ gloriæ cupidis, nolle alijs inferiores videri, ac inde alijs contra sententiam suam dicentibus cedere nolle, ac propterea in discordiæ voraginem incurrere, verbisque concertare: neque enim passio, iræ (quod notatu dignissimum est) contentionem, discordiamue

diamue procreat , nisi Cenodoxia ferueat.

18 Hæc autem, & alia plurima monstra fratres nostri vitabunt. si humilitatis, quæ gloriam respicit, & magnanimitatis, quæ illam paruifacit capita pensitent, ac earum virtutum actibus quos præscripsimus vtantur. Hæc de Cenodoxia.

19 Inuidia, quæ ex inani gloria aperte nascitur est mœstitia de bono alterius, quatenus proprium bonum diminueri creditur: est vitium pesti létissimum, utpote charitati inimicum: ex quo quinque filia (vt Patres aiunt) oriuntur, Odium, susurratio, detractio, lætitia de aduersis, afflictio de prosperis.

20 Mox enim, vt quis inanis gloriæ cupidus proximi gloria se obscurari opinatur, odit illum, & bonum diminueri conatur, vel clā illo, quæ est susurratio, vel manifestè, quæ est detractio, & si res ex sententia succedat, subit lætitia, si secus mœstitia, qua infœlix extabescit.

21 Quod verò ad monasticam disciplinam attinet, verissimum est leuissi-

mis de causis hoc vitio Christi famulæ
 infestari: puta, si alter è duobus peritia,
 lepore, vel alijs dotibus præcellat: si
 quid etiam minimum vnus è duobus,
 exactiùs efficiat, qui minus bene se gef-
 fit, motu mœroris, & à contrario, si
 proximus in errato aliquo deprehenda-
 tur, lætitia se affici sentit: quod in rebus
 minimis, ac frequentissimis fratres no-
 stri perspicere potuerunt. Vnum ta-
 men præsertim obseruent, inuidiam,
 aduersus valdè præstantes non exci-
 tari: non enim nouus frater inui-
 debit Patri alicui seniori pruden-
 tiam, famam & eiusmodi alia: sed
 aduersus condiscipulos forsitan vrge-
 bitur, si eos Superiori gratiores esse con-
 spexerit.

22 Hæc autem noxia inuidentiæ ger-
 mina necari poterunt, si quæ in capite
 de Charitate præscripsimus, accuratè
 obseruentur.

23 Gula est immoderatus appetitus ci-
 bi, & potus, cuius species à Patribus
 quinque recensetur sub his vocum dif-
 ferentijs, lautè, studiosè, nimis,
 preproperè, ardentè, filiatq; totidem,
 inepra

inepta lætitia, scurrilitas, immunditia multiloquium, mentis hebetudo.

24 Quærit enim, qui ventri deditus est, esculenta pretiosa, quod ad lautitiam; accuratè præparata, quod ad studium spectat: quantitatem magnam, quæ notatur voce illa, nimis, anteuertit tempus, quæ est properatio; nimio affectu vescitur, qui est ardor.

25 Ex hoc erumpit inepta lætitia, appetitu relaxato, nec à ratione tunc impedita correcto; scurrilitas, hoc est, multiplex gestus ad risum irritandum opportunus, neque enim se continere potest; immunditia, per emissionem seminis, vel alias excretiones; multiloquium, hoc est, verbositas, mentis hebetudo, siue obscuratio, ex vaporibus cerebrum obruentibus.

26 Vitium belluarum est; à quo, qui contemplationi vacare cogitant, longissimè abstinere debent. legatur caput de abstinentia, & subrietate, quæ sunt eius remedia præsentissima.

27 Auaritia est immoderata cupiditas habendi; trifariamque (sicut & libido, & cupiditas) accipitur, vt passio

subsequens peccatum originale, (que videtur esse ipse fomes,) & sic est radix omnium peccatorum, vt immoderatus appetitus cuiusvis rei, & sic est quid commune omni peccato, vt appetitus diuitiarum, & sic est vitium capitale.

28 Eius species sunt septem, parcitas, tenacitas, cymilitas, id est, dandi difficultas, turpe lucrum, vsura, latrocinium, alea; ex quibus quatuor vltimas exponere opus non est, nec enim ad claustrum disciplinam spectant: tres verò primæ, hoc est, parcitas, tenacitas, cymilitas, seu dandi difficultas, satis crebro Christi famulos infestant: cum rebus, quibus vtuntur, quasi proprijs hæret. Si enim cū distribuenda sunt, parum dent, est parcitas, si nihil, est tenacitas: si difficulter admodum, est cymilitas. Mirum est certè, quo pacto, in officinas, & cellas ipsas, quædam auaritiæ pestis irrepit.

29 Filix auaritiæ. sunt septem, Obduratio, violentia, inquietudo, fallacia, fraus, periurium, proditio. Obduran- tur enim viri diuitiarum, nec ad misericordiam emolliuntur, in acquirendo
vim

vim inferunt, cupiendo solliciti sunt, fallunt verbis, fraudant operibus, periurant, & si opus est, produnt, sicut Iudas, qui hoc vitio captus Christum venum-dedit: & alij à fide desciverunt.

30 Ex his perniciosissimis foetibus, inquietudo, praefertim ad claustrum se solet insinuare; & contra Christi consilium animos à cælo diuertere, quasi opus sit, saecularium more, Monachos de victu, ac vestitu anxios esse: sanius consilium est: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus: &c. legatur caput de paupertate, quæ cum hoc vitio capitales inimicitias gerit.

31 Ira est immoderatus appetitus vindictæ; qui triplex est, iuxta tres vitij huius species, acutus, in ijs, qui celeriter irascuntur, amarus, in ijs, qui diu iram seruant, difficilis seu grauis in ijs, qui vsque ad vltionem non requiescunt. Filia vitij huius à Patribus sex numerantur, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia: & praeter primam, & vltimam omnes in claustra quoq; reformata penetrare solent,

lent, ac leuissimis de causis irritari: ibi enim obres minimas sæuit indignatio, contra proximum, quasi indignum, qui iniuriolam irrogauerit, clamor, vocib⁹ elatus, tumor mentis, cogitationibus vindictæ prægnantis, & contumeliæ, quando in verba quodammodò iniuriosa prorumpitur.

32 Vitium est Iesu Christi famulis indignissimum, sicut & passio iræ, cuius actibus iræ vitium generatur: vtrique autè, quæ in prima parte, de ira, & quæ in secunda, de mansuetudine scripsimus, apposita remedia suggerent.

33 Luxuria est appetitus venereæ voluptatis: cuius species sunt sex, fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, vitium contra naturã, cuius quatuor sunt species, mollities, abusus mulieris, sodomia, bestialitas, omniumquæ illarum grauitas, eo, quo recensentur ordine, excrescit.

34 Vitium sanè turpissimum est, cuius filia à Patribus octo numeratur. Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, desperatio futuri.

turi sæculi. Gradus vitij quinque, aspectus, cogitatio, delectatio, consensus, opus. Actus è vitio prodeuntes quatuor, turpiloquia, stultiloquia, scurrilia, ludrica; nullum verò vitium adeò intellectum deprimit, ac luxuria.

35 Omnia capita hæc ideò propofuimus, vt Fratres nostri, Deo gratias agât, qui tam intolerabilem turpitudinem ab eis procul egit: & quicquid cum horrenda deformitate hac affinitatem aliquam habet, accurratissimè fugiant: nihil enim à Beatissimæ Virginis filijs longius abesse debet, quàm vel sola horroris huius imago. Legatur caput de Castitate, vbi quod ad vitium hoc expugnandum, requiri potest, expressum est.

36 Acedia vitium capitale, est tædium, siue tristitia de bono spirituali diuino: aliàs enim passio communis est. Eius filia à Patribus sex enumerantur, malitia, quæ est detestatio ipsorum bonorum spiritualium, rancor, hoc est, indignatio contra proximos ad spiritualia inducentes, desperatio bonorum diui-

diuinorum , pusillanimitas ad ea quaerenda, torpor ad explenda praecipua, euagatio ad illicita.

37 Multa quoque alia germina similia producit, cuiusmodi sunt, amaritudo, ociositas, somnolentia, cogitationum importunitas, curiositas, verbositas, corporis inquietudo, instabilitas.

38 Mala haec omnia spirituali profectui infestissima, & in claustris, vbi coelestium rerum desiderio non feruent, frequentissima, Fratres nostri depellent, si quae in capite de diligentia praescripsimus, ex animo obseruent.

39 Octo capitalia vitia recensuimus, licet vulgo septem numerentur, iuxta diuersas Patrum opiniones, superbiam & Cenodoxiam in caput vnum contrahentium, vel alteram excludentium,

40 Ex his ergo, quae de capitalibus vitijs compendio scripsimus, e multis pauca, etsi capitalia posuerimus, Fratres nostri perspicere possunt quam sint multa hostium agmina, quibus congregandum est: quantique ponderis sit, virtutum culturae serio se dedere, ac strenue dimicare: inter hostes quippe versantur.

41 Huc

41 Huc spectat illud è Baruch. 3. Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe, vt scias prudentiam. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Dereliquisti fontem sapientiæ, nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. Hæc videlicet ratio tot hostiũ ferax est, quia omnes nos, quasi oves errauimus, & contra nostram salutem hostes armauimus.

42 Propter hoc illud Dauid præceptũ iure à nobis obseruandum est: 2. Reg. 1. præcepit enim vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum, Fratres quippè nostri armis exercendi sunt, vt iustos decet, qui à primis annis præliandi artem addiscunt.

43 Et quidem si cum tot agminibus inermes, soli confligerent, spes modica suppeteret: habent tamen opportunissima virtutum, & fortissimum ductorem Iesum Christum Saluatorem nostrum: qui alligare nouit proteruos reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

44 Qua verò ratione tot vitiorũ monstra prostrare, tot passionès à nobis parte

parte prima descriptas subiugare, tot virtutes parare, breui compendio valeant, in capite proximo exponemus.

De nonnullis annotationibus in tractatum virtutum, & vitiorum.

Caput. XXII.

Virtutes illæ, quæ ad patriam spectant, in tractatu de Oratione sedem propriam habent; ac ob id eò à nobis reiectæ sunt.

2. Vniuersè autem quo ad virtutes ac vitia notandum: quòd quemadmodum actus v. g. furti, si ad luxuriam quis fuerit, est actus luxuriæ: si ad fastum, est actus superbiæ: si ad ingluuiem, & crapulam, est actus gulæ, & ebrietatis: & quot fines illicitos sibi fur proponit, tot species peccatorum vnus actus ille sortitur: sic qui ministrat v. g. Missæ, qui est actus patriæ, si ministrat ad obediendum superiori, est actus obedientiæ: si vt placeat Deo, est actus amoris Dei: si vt proficit quoque proximis, est actus charitatis: si vt per id sacrificium assequatur beatitudinè, est actus spei: si vt satisfaciat Deo pro peccatis, est actus pœnitentiæ: & quot